Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1093

Quelle:
Copyright:

Praecedentia porro Carmina ἀδέσποτα, ἀνεπιγεαφα, ut mihi infra *Hildeberti* dignitatem videantur, ita tamen de ſequente haereo, an non illi, aut *Marbodo Redonenſi* in edit. *cit.* ei adjuncto tribuendum ſit. Titulus quidem illius miniatus ita enunciat:

Cum iam diffundi uellent per clymata mundi
Teſtes bis ſeni. uoto ſtatuere fideli
Vt ſolimam rurſus dent anno quoque recurſus &c.

IX. *fol.* 6. *Incipit translatio ſancti Jacobi apoſtoli que in gallicia verſifice eſt compoſita.* Novimus tamen, quam parum fidendum ſit hederis ab indoctis ſaepe Librariis adpenſis. Incipit Carmen:

Haec ſi compares ad *Hildeberti* Carmen *de Machabaeis, de S. Vincentio* et alia, item ad *Marbodi Paſſionem S. Victoris, Mauritii* &c. eundem genium, ſtilum, verſum deprehendes. Narratur porro Fabula illa de Corpore S. Apoſtoli, cujus e *Joh. de Boſco* et Codice *Marchianenſi* meminere *Bollandiani* T. VI. *Jul.* ad diem 25. §. 4. p. 12. qui tamen Poematis praeſentis notitiam nullam habuiſſe videntur. Finitur illud:

Multi qui veniunt triſtes ibi gaudia ſumunt,
Cum deus id donat. meritum preconis honorat.

X. *fol.* 9. *Incipit paſſio ſancti Laurentij.* Ejusdem cum praecedente genii. Initium:

A decio tentus. gladio feriente peremptus
Martyribus mixtus. fulgebat in ethere ſyxtus &c.

Extat inter *Marbodi* Metrica edit. *cit. col.* 1519. quamvis teſte *Beaugendreo* in *Monito* praevio etiam *Hildeberto* inſcripta reperta ſit. E collatione inſtituta varia quidem ope *Codicis* melius conſtitui poſſent; eſt tamen, ubi peccat. Ita habet v. 3. *tracti* pro *nacti.* v. 8. *victum* pro *vinctum*, et v. 9. omiſſo, v. 10. *quod morte perire uidebat* pro *quos morte praeire volebat* &c. Pro ultimis demum 34. Verſibus alii 48. in *Codice* leguntur.

XI. *fol.* 15. *Incipit Paſſio ſanctorum Mauricii ſociorumque eius.* Initium:

Dum cohibere parat gallos quos conglomerarat &c.